



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd duæ animæ non sint in vno homine, vt quidam dicunt, sed vna  
tantùm. ii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

tes affirmant, quasi naturæ consequentia seruiente: Sed dicimus corpus tantum per coniugii copulam seminari, nec verò iudicio coagulari in vulua, & fingi, atq; formari. Formato iam corpore, animam creari, & infundi, vt viuat in utero homo ex animâ constans, & corpore, egrediatuq; viuus ex utero, plenus substantia. Creationem verò animæ, solùm creatorem omnium nosse.

*Quòd due animæ non sint in vno homine, vt quidam dicunt, sed vna tantum. Cap. II.*

*August.* **N**ON duas animas esse dicimus in vno homine, sicut quidam Iacob, & alii Syrorum disputatores scribunt, vt vna anima sit de qua animeretur corp<sup>9</sup>, & immixta sit sanguini, & altera spiritalis, quæ rationem ministrat: sed dicimus vnâ esse eandemq; animâ in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, vt in sua substantia eligat cogitationem quam vult.

*Quòd solus homo habeat animam substantiuam. Caput III.*

*Idem.* **S**olum hominem credimus habere animam substantiuam, ex qua corpus viuat, & rationem suam, & ingenium viuaciter tenet. Neque cum corpore moritur, sicut Aræus asserit, neq; post modicum interuallum, sicut Zenon, qui substantialiter viuat.

*Vt pecudum animæ cum carnis morte fiantur. Caput IIII.*

*Idem.* **P**ecudum animæ non sunt substantiue sed cum ipsa carnis viuacitate nascuntur, & cum carnis morte finiuntur. Et ideo nec ratione reguntur, sicut Plato & Alexander putant: sed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur.

*Quòd anima humana non cum carne moriatur. Cap. V.*

*Idem.* **A**nima humana non cum carne moritur: quia non carnis, vt superius diximus, semen est, sed formato iudicio corporis Dei iudicio corpore, dicimus eam creari, & infundi, vt viuat homo intus in utero, & sic natiuitate procedat in mundo.